



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

LXXXIII. De his qui intrantes ecclesiam, per nimiam luxuriam sacramento se abstinēt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

## LXXXIII.

\* scripturas audit,

Si quis intrat ecclesiam Dei, & sacras \* scripturas non audit, & pro luxuria sua auertit se a communione sacramenti, & in obseruandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, istum talem proiciendum de ecclesia catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ; vt possit \* communione percepta indulgentia promereri.

De consecr. dist. 2. Si quis intrat, ex Concil. Antioch. Can. 2.

\* communione percepta indulgentiâ promereri.

Græce est, &amp; ἡ ἀποστολή τοῦ ἐπισκόπου καὶ τοῦ πρεσβυτέρου καὶ τοῦ διακόνου, καὶ οὐδεὶς ἐκ τούτων ἐκκοινωνησέτω.

## LXXXIV.

Non liceat communicare excommunicatis, neque in domos eorum introire, neque orare cum eis; neque liceat, vt in alia ecclesia se regentur. Si autem aliquis episcopus aut presbyter aut diaconus, aut quilibet ecclesiasticus excommunicato communicauerit, quasi perturbans omnem disciplinam ecclesiasticam, excommunicetur.

## VITA,

ANNO CHRISTI 573.

EPISTOLA ET DECRETA  
BENEDICTI PAPÆ I.*Ex libro pontificali.*

**B**ENEDICTVS natione Romanus ex patre Bonifacio, <sup>b</sup> sedit annos quatuor, mensem vnum, dies viginti octo. <sup>c</sup> Eiusdem tempore gens Longobardorum inuasit totam Italiam, simulque & fames nimia, vt etiam multitudo castrorum se traderet Longobardis, vt temperare posset inopiam famis. Quod dum cognouisset Iustinus piissimus imperator, quia Roma periclitaretur fame & mortalitate, misit in Ægyptum, & oneravit naues frumento, & transmisit Romam. Et sic misertus est Deus Italiae. In istis laboribus & afflictionibus positus sanctissimus Benedictus papa mortuus est. Qui sepultus est in basilica beati

Ssss iij